

**1986-12-10 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Beatorum Caelitum’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***BEATORUM CAELITUM***

**BEATUS IOANNES GRANDE, DIOECESIS ASSIDONENSIS-IEREZENSIS  
APUD DEUM CAELESTIS CONFIRMATUR PATRONUS**

Ad perpetuam rei memoriam. – Beatorum caelitum cultus ad id videlicet tendit, ut non modo Dei viri ab hominibus congruenter honorentur, cum tot tantisque ingruentibus periculis atque discriminibus sint iidem apud Deum patroni, sed etiam ut homines ipsi qui vitae in angustiis versantur, eorum virtutis exempla propius persequantur. His perspectis rationibus, Venerabilis Frater Raphael Bellido Caro, Episcopus Assidonensis-Ierezensis, communia suscipiens vota, cum petiverit ut Nos beatum hunc caelitem, qui eorum regionum in sublevandis aegrotis vitam olim consupsit suam quemque clerus atque Christifideles iam ad antiquo peculiari prosequuntur veneratione, auctoritate Nostra ipsius dioecesis caelestem Patronum confirmaremus, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, Nos Ipsi, omnia acta esse ad iuris normal pro comperto habentes scientesque rem christianorum fidei incrementum afferre posse atque pietatem augere, admotis precibus libenti concedimus animo. Itaque iis probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de re statuit factis olim a Nobis facultatibus, placet Beatum Ioannem Grande Patronum dioecesis Assidonensis-Ierezensis esse et haberi, cum iuribus atque privilegiis quae hunc honorem consequi solent iuxta rubricas, contrariis nihil obstantibus. Ceterum id re vera agentes, indubia spe ducimur fore ut aucta pietas erga hunc Patronum tum in Dei gloriam, tum etiam in fidelium bonum recidat, qui ipsius exemplis permoti, perfectiora usque exsequentes ad gloriae fastigium feliciter perducantur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die X mensis Decembris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*